

An. 1699.
1700.

se addidit Brulartius, si quo modo pristina nostra conventa posset rescindere. Quod frustra ab illis tentatum est. Sed levia tandem hæc fuere præpertinacissimis illis contentionibus, quibus me per totos decem annos exercuerunt conductores reddituum ex prædiis meis provenientium; nec nisi multorum Senatusconsultorum auctoritate, & obstinata mea constantia ex his tricis expedire me potui.

At juxta vetus adagium, fumum fugiens in ignem incidi: ille enim ipse, quo ad pestem hæc à me depellendam fueram usus, cuique curam totius rei meæ familiaris permiseram, consanguinitate conjunctus, & certa, ut sperabam, multorum annorum benevolentia, summisque per me beneficiis affectus, ita grassatus est in meam perniciem per occultas molitiones, ut nisi mature fraus esset à me certis indiciis deprehensa, & æquis Judicibus patefacta, per eosque vindicata & repressa, evertisset me bonis, pessumque dedisset.

Libentissimo animo nomen hic inferam Judithæ Barberiæ Tiliacæ, matronæ lectissimæ, omnique laude dignæ, cum ob suavitatem indolis, & integritatem morum; tum multo etiam magis ob sacræ antiquitatis & Ebraicæ Linguae peritiam, quam tamen singulari modestia dissimulabat. Quamvis enim a primis ætatis nostræ annis magna fuisset inter nos familiaritas, frequensque vitæ usus, quibus primos gradus fecerat vicinia; studia tamen hæc sua tam caute me celaverat, ut nihil in ea supra captum mulierum reliquarum suspicarer inesse. Nec ante arcani illius me fecit participem & conscium, quam profuga in Hollandiam, Religionis causa, multa me per literas rogans super obscuris plurimis sacrorum Codicum locis, ipsa se prodidisset. At sane viget apud me, vigebitque, quoad fruar lucis hujus usura, tantæ virtutis, tamque sinceræ amicitiae recordatio.

Cum primum in Fontanetano meo pedem fixi, venit illuc Johannes Mabillonius, Benedictinus Monachus, non tam visendi mei, quam tabularii Abbatiae hujus perlustrandi gratia, veterumque Chartarum, ut parata haberet, unde sumeret materiem Benedictinæ Historiæ, quam susceperat elucubrandam: ac optassem sane detinere apud me per dies aliquot hominem mihi perfamiliarem a multis annis, tum & Ecclesiasticæ antiquitatis valde peritum, longaque vetustiorum tabularum & diplomatum tractatione & usu doctissimum ætatis hujus & scientissimum existimatorem. Nec ipse nolebat moram aliquam apud me facere: sed cunctantem eum Ordinis sui negotia Lutetiam revocabant.

Magna